

præfertur Chryſiti. In modo concretionis, etiam differentia quædam obſervatur, aut enim ſolida eſt, Græcis Stercotida, aut inflata, Pneomene dicta, atque illa plerumque in Maſſas cogitur, hæc in tubulos.

Inſigni pollet vi exſiccandi, quamvis Galenus, nec calefacere, nec refrigerare dicat; modice abſtergit & adſtringit, commendatur ſola ad intertrigines, exſiccando enim cuticulam reſtituit.

PLUMBAGO, Græcis *μολύβδαινα*, *Wley-erg* / à Plumbo appellatione ſumptâ; fit ex Plumbo, modo quo ſupra dictum: ſed non unius eſt coloris. Suprema enim ejus pars ad Lithargyrium accedit, infima cinerem, mediæ ex utriſque miſta. Suprema reliquis præfertur, ſplendet, ut & mediæ, & cum in pulverem teritur rutila fit, in oleo cocta jecoris colorem contrahit.

Ea quæ Plumbei eſt coloris, cruda adhuc eſt, quocirca præfertur flavæ, argenteæ ſpumæ ſimilis, modice ſplendens.

Vim habet ſpumæ Argenti, aut recremento Plumbi ſimilem, uritur & lavatur eodem modo, miſcetur Emplaſtris quæ nullam corrodendi vim habent, ulcera ad cicatricem perducit. Si deficiat, Lithargyros ejus loco ſumi poteſt. E Plumbaginis parte cinereâ contuſâ faciunt pulverem, quem CINERUM PLUMBARIIUM vocant. Vide quæ ſupra cap. II. de Galenâ factitiâ & Plumbagine diximus.

